

h. 109, 16. (X201 2957) Q. D. B. V.
Juxta Metamorphosis

Y b
4549

Monasterii Curiani.

Quâ
Ad audiendam Orationem,
In Natalem Gymnasii Curiani,

in æde D. Micbaëlis

Feria secunda Pentecostali dicendam,
simulque

Processionem anniversariam condecorandam,

Illustrissimus Comes ac Dominus,

DN. HEINRICUS,

Senioris Lineæ Ruthenus Sextus, Comes ac Dominus in Plavia,
Dominus in Graiza, Cranichfelda, Gera, Schlaiza, Lobenstein &
Burck, &c. Serenissimi Principis ac Marchionis Brandenburg,
Confiliarius Intimus & Districtus Curienfis Capitaneus
Eminentissimus,

ut et

Præillustis ac Generosissimus Dominus,

DN. LEOPOLD-FRIDERICUS,

*Liber Baro à Rechenberg, in Burau, Freywalde, Klitz, Dynasta in Gütz-
schendorff & Lipschau, &c.*

Cæterique Urbis Proceres,

Nostrique Gymnasii Fautores,

Humillime, observanter atque officiose invitantur

à

M. GEORGIO NICOLAO Langheinrich/h.t. Con-R.

Literis Mintzelianis.

6.



Inter Metamorphoses illas atque conversiones, quæ superiori seculo felicibus auspiciis evenerunt, maximè insignis & notabilissima omnium fuit Religionis reformatio. Ea quò pactò contigerit, quæve præcipua ejus causa extiterit, Augusti Thuanii, Pontifici Galli, verbis enarro. Sic ille ad Annum 1515. *Cum Leo Pontifex alioqui ad omnem licentiam sponte sua ferretur, Laurentii Puccii Cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulsu, ut pecuniã ad immensos sumptus undique corrogaret, missis per omnia Christiani orbis regna diplomatibus, omnium delictorum expiationem ac vitam æternam pollicitus est, constituto pretio, quod quisque pro peccati gravitate dependeret: in eamque rem per provincias questores & araria ordinavit, quibus additi præcones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, & orationibus artificiose compositis, propostisque palam libellis rei efficaciam immoderate extollerent, quod licentiose nimis à Pontificiis ministris passim atque in Germania præcipue fiebat, ubi, qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice conduxerant, per lustra & popinas cotidie sine pudore in aleæ lusum ususque turpissimos potestatem extrahendi animas defunctorum ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus Augustinianus Vitembergæ in Saxonia Theologiam professus, qui refutatis primum, mox damnatis præconum concionibus eo postremo devenit, ut ipsam Pontificis potestatem, quam sibi per illa diplomata arrogabat, in dubium revocaret, ac tandem ad doctrinæ examen, quam successu temporis labefactatam dicebat, crescentibus per contentionem animis, descenderet, p. 33. 34. Quo tempore uti Lutheri causæ pleriq; magni viri ac principes contra Pontificem jam manifestò favebant; ita inter eos nomen quoque suum professus est Princeps Magnanimus, D. Georgius, Pincognomento dictus, Marchio Brandenburg. qui in suis etiam ditionibus, Papistica superstitione exterminatâ, veritatem cœlestem, destinatione divina & ministerio Lutheri ex infelicissimis tenebris in lucem productam, propagari docerique voluit. Itaque & Curia nostra in Religionis negotio immutari, inque ea Monasterium utrumque, Monachis & Monialibus refertissimum, aliã indui formã coepit, atque exoptatissimam Metamorphosin sustinuit. Quando verò in quavis conversione duo termini offerunt, à quo & ad quem, uterque hîc quoque notari merebitur,*

bitur, quamquam nobis Monasterium eâ potissimum parte confide-
randum veniat, qua sedem Gymnasio nostro deinceps præbuit, cu-
jus gratia hoc, quidquid est, in præsentiarum scribimus. Terminus
à quo fuit Cœnobium Franciscanorum. Nimirum duo in Patria no-
stra existerunt Monasteria. Alterum *Diva Clara* sacrum fuit, à *Clara*
ab Huttenhofen extractum, & Virginibus DEO dicatis, seu Monia-
libus attributum, è quibus unam in uxorem duxit Conradus Majer,
veteris scholæ Rector, nobilem virginem, *Veronicam* à *Zedwitz*, quæ
prima in hoc collegio sacrarum virginum Evangelii doctrinam am-
plexa est, & idololatriæ Monasticæ publicè renunciavit. Alterum
Franciscani Ordinis ab *Heinrico Weidenfi* (qui Illustrissimi Ruche-
norum Stemmatis Parens & auctor fuit, de quo ita *Paulus Langius*:
Heinricus Senior dictus fuit tanquam excellenti titulo Advocatus, seu vulgari-
ter Voit de Wyda, & ita posteris ejus per multa tempora. Nam totam terram
Advocatorum, quæ & tunc, sicut & nunc das Voitland dicebatur & dicitur,
possedit. Uxorem habuit Berchtam Comitissam à Tyrol, quæ peperit ei quatuor
filios, qui omnes Heinrici dicti sunt, quorum primus post eum sedit in Wyda, se-
cundus in Groye sive Greitz, dictus Heinricus Reusse, tertius in Plawen, quartus
in Gera, in Chron. Citizenfi, ad Annum 1193. quod Illustr. Vet. script. ex
Biblioth. Joh. Pistorii T. 1. exhibitis, insertum est p. 791) fundatum.
Eo itaque loco, quò hodie Gymnasium nostrum floret, habitarunt
Francisci Socii, h. e. tales, qui pallido vultu mentuntur jejunia, & obsequen-
tibus lachrymis profunda à pectore trahunt suspiria, & mobilibus labris fre-
quentes orationes simulantes, & gressu incesuque composito, gestibus tranquil-
lis. Obstipito capite, figentes lumina terræ, Modestiam sibi vendicantes,
fucato habitu humilitatem, & suspensa à collo cuculla, sanctimonium foris profes-
si, intus autem detestandos mores secum ferentes, quemadmodum depingit
Monachos *Heinr. Cornel. Agrippa de Vanit. Scient. c. 62.* Quibus
nugis atque rursuribus cum Franciscani ipsi pasti fuerint, tum ple-
bem paverint, exponendum nunc aliquantum foret; sed sufficiat
paucissimis eorum duntaxat meminisse, quæ de suo Francisco, Or-
dinis Primicerio & antesignano, ex *Libro Conformitatum Franciscana-*
rum fabulantur. Ajunt, Franciscum, Petri Bernardonis filium, in

ecstasi cum Christo commissum, atque compositum totidem plagis
ac stigmatibus, iisdemquè in locis à Christo compunctum fuisse,
quot Christus in cruce pendens affectus fuerat: ob eamquè causam
eum appellari *Jesum Typicum*, hoc est, quasi Jesu crucifixi antity-
pum, ut quemadmodum character in cera signum imprimit, ita Chri-
stus sua in Francisci corpore vulnera impresserit. Unde illud in
ejusdem Libri fronte nefarium atque abominandum dictum: *Francis-
cisce, Jesu typice, dux normaquè Minorum, sedes nobis perpetuè da regni celo-
rum*. Sic autem Franciscus p. 232. loquens inducitur: *Post hæc D.
Jesús crucifixus manus suas corpori meo applicavit, & primò manibus, secundò
pedibus, tertio stigma lateris cum vehementissimo dolore sensi: Et cum magna vo-
ce clamoris mei qualibet vice impressit, & verba quedam secreta mihi dixit,
quæ nulli adhuc homini revelavi.* Quod adeò firma credendum fide esse
sanxit Ecclesia Catholica, ut secus sentiens pro hæretico & schisma-
tico habeatur. Ita legitur p. 234. *Cùm S. Romanæ Ecclesiæ determinatio
sit verissima, & certissima; & ipsa Ecclesia Romana declaravit B. Franciscum
stigmatifatum à Christo, ut patet ex bullis præfatis. Quare hoc est firmisimè,
tanquam verum tenendum & oppositum tenentem ut Hæreticum ab omnibus di-
spiciendum: & præsertim cùm dicti duo summi Pontifices Gregorius & Alexan-
der, non solum oculis propriis viderint, sed fide dignis testibus hoc esse attestatum
dicant expressè.* Porro Franciscus Johannem Baptistam & Aposto-
los omnes superasse asseritur, dum p. 18. hæc scripta invenies: *Francis-
ciscus plus fuit, quàm Joannes Baptista, quia Joannes Baptista tantum fuit
pœnitentiæ prædicator, Franciscus fuit prædicator, & ordinis pœnitentiæ institu-
tor. Ille fuit præcursor Christi, hic prædicator & signifer Christi, qua in re Jo-
hannem ipsum excedit. Item, Joannem Franciscus præcedit, quia plures ad
Dominum convertit, & pluribus in locis, videlicet in toto mundo. Joannes du-
os annos & parum plus prædicavit: Franciscus 18. annos. Joannes verbum
de pœnitentiâ accepit à Domino: Franciscus à Domino & à Papa: quod plus est.
Joannes Baptista qualis esset futurus, per Angelum patri, per Spiritum sanctum
& Prophetas fuit declaratus. S. Franciscus verò à Prophetis, à D. JESU
Christo, item per Angelum matri & famulis in specie peregrini declaratus. S. Jo-
annes in utero & extra prophetavit: B. Franciscus in utero, id est, in carcere
apud*

apud Perusium captus, cum gaudio se magnum futurum prædixit. S. Joannes
 amicus sponsi. B. Franciscus similis Domino Jesu Christo, Joannes mundo
 singularissimus fuit sanctitate: Franciscus excellentissimus fuit ad Christum
 præ aliis, stigmatizationis conformitate. S. Joannes in ordine Serafico sublimatus:
 B. Franciscus in ipso ordine in sede Luciferi collocatus, & p. 39. Franciscus
 est melior Apostolis, quia illi navem tantum & alia reliquerunt, non tamen ve-
 stimentum, quod in dorso habebant. B. verò Franciscus non solum omnium ter-
 renorum facultati abrenuntiavit: sed etiam pannos & fœmoralia rejecit, atque
 mundum corpore & mente se obtulit brachiis Crucifixi: quod de nullo alio sancto
 legimus. Unde bene poterat Christo dicere: Reliqui omnia & secutus sum te.
 Neque peccati ullius convictum, adeoque Christo parem hunc Ber-
 nardonis filium fuisse, affirmat Blæsis, nobili Gallix civitate, pa-
 lâm pro templi foribus inscriptum elogium: *Quæretur peccatum illius
 & non invenietur.* Confer omninò *Brutum Fulmen* p. 18. seqq. Hæc
 olim in Monasterio nostro fuerunt egregia illa dogmata, quibus im-
 bui ad salutem populus debuit: hoc concionum argumentum, unde
 afflictas mentes haurire solatium oportuit: hæc præcipua Religi-
 onis capita, quibus sub anathematis fulmine adhibenda fides fuit.
 Sed auspiciatissima ista metamorphosi factus est, ut purioris atq; recti-
 oris doctrinæ lux loco illo affulgeret, ex eo videlicet tempore, quo in
 Scholam celebriorem sive Gymnasium, quod veluti Metamorpho-
 seos hujus terminus ad quem esse potest, cuculatorum illorum homi-
 num domicilium convertere placuit. Posteaquam enim veteres
 Coloni Monachi cum Monialibus migrare hinc jubebantur, Egram-
 què, relicta Curiâ, maximam partem concedebant, prudentissimus
 Senatus, quòd locum antiquum Musis sacrum ob crescentem indies
 pubem scholasticam sufficere amplius non posse videbat, de capa-
 ciori parando cogitans, Albertum Juniolem, gloriosissimæ ac beatis-
 simæ memoriæ Principem ac Marchionem, supplicibus literis preca-
 tur & obtestatur humillimè, ut Monasterium Franciscanorum inco-
 lis suis vacuefactum sibi donare, inque usum Scholæ celebrioris
 convertere ne gravetur. Annuit indulgentissimus Princeps, & ut
 armorum gloriâ (quam erudito Orbi erudita Dissertatione exposuit

amicisſimūſ civiſ meūſ, Dn. Layriz, Profefſor Baruthinuſ, de Heroe
hoc Principe, Alberto Juniore A. 1674. conſcripta) ſic munificentiæ laude
Illuſtriſſimūſ Pater Patriæ, petentiq; Senatui, miſſo Blaffenburgo De-
creto, A. 1545. clementiſſimè permittit, ut literarum ſedes & Muſa-
rum ſacrarium fiat, quod religioſorum hætenuſ, non niſi ignavum
otium & ventris curam ſectantium, ſagina extiterat. Mox novum
Gymnaſium magnis ædificant impenſis, qui tum conſulatu funge-
bantur, Viri æternâ memoriâ digni, Jahnir, Teechii, Klugii, Jodize-
ri, atque ſub altero tecto duo Auditoria, Inferiuſ & Superiuſ, magni-
ficè exſtruunt, in ſuprema vero contignatione duo alia minora Con-
tubernia & plurima Cubicula pauperum Scholaſticorum, qui libe-
ralitate civium aluntur & foventur, conſtituunt; ſub altero autem
tecto quatuor contiguas habitationes, quas ſuperiores Collegæ qua-
tuor inhabitarent, A. 1545. perficiunt & abſolvunt. Sequentè dein-
de A. 1546. Scholaſticum agmen ſolemni feſtivityate, omnium Or-
dinum hominibus comitantibus & gratulantibus, è veteri Schola in
Novum Gymnaſium, ceu in auguſtiſſimam Coloniam introduci-
tur Feria ſecunda Pentecoſtali, quâ anniverſaria memoria fundati-
onis atque inaugurationis hujus Novi Gymnaſii quotanniſ recolit-
tur, ac publico ritu & Concionibus piis celebratur, progreſſione facta
è Templo D. Michaelis, in ædem ſacram Monafterii Gymnaſio con-
tiguam, in qua ſacri actus in memoriâ rer illâ die peraguntur. At-
que hæc quidem illa *Metamorphoſis* eſt, quam Monafterium noſtrum
ſuperiori ſeculo ſenſit, quæ an *juſta* fuerit, h. e. an cœnobium Ordini
Franciſcano dicatum in Scholam & Gymnaſium mutari jure potue-
rit, quæritur? Nobis, quodcunq; juſ urgeatur, juſtiſſima apparet.
Neque enim jure divino premimur, quod nobis oppidò favet, qui nõ
JESUM Typicum; ſed JESUM crucifixum, non noſtra aut Franci-
ſci merita; ſed Chriſti unicum & omnibus numeris conſummatum
inculcamuſ, adeoque exploſâ heterodoxiâ ſanctiorem doctrinam
colimur. Neque humanum juſ prohibet, monaſteria in ſcholas aut
Academias alioſquè uſuſ píoſ convertere mutarequè. Hic verò rin-
guntur Pontificii, querunturquè Monaſteria ſeu *bona eccleſiaſtica ſecu-
larifari*

larisari atque in profanos usus averti. Verùm enim verò ut impræsons non urgeam, esse nonnullos, quorum opinionem tamen meam ego facere nolim, qui secularisationem quoque Bonorum Ecclesiasticorum h. e. eorum ab usu ecclesiastico in secularem translationem affirmant licitam, asseruntque, cum Bona Ecclesiastica ratione usus tantum talia sint, in se verò res seculares, utpote res de hoc mundo, manent, facile fieri posse, ut talem respectum exuant, qui non nisi extrinsecus sit, & in rei natura nihil mutet; falsum omninò, ullam in hoc casu secularisationem intervenire. Aliud est *secularisatio*, aliud *sacri usus variatio*. Hæc non illa, obtinet, quando domicilia & redditus Ordinum Monasticorum in Collegia, Scholas, Academias & stipendia conferuntur. Manent bona ecclesiastica; sed ita, ut usus saltem ecclesiasticus variet. Deduxit hoc prolixissimè Helfricus Ulricus *Hunnius*, Ægidii F. in *duodecim Responsis Protestantium contra bonorum ecclesiasticorum usurpationem, aut in alios quàm pios usus applicationem*, quorum excerpta legere est apud *Hoornbeck* in Exam. Bullæ Innocentii X, p. 91. seqq. Exciipiunt Papistæ: bona illa ecclesiastica à fundatoribus non in Scholarum aut similes usus data fuisse; sed Misarum sacrificia, ad colendos invocandosque Sanctos e. g. S. Franciscum & c. *Ultimam verò voluntatem secundum placitum donantium servandam esse*, l. 5. C. de Relig. & sumpt. funer. At huic exceptioni responderunt nostro seculo ipsi met Jesuitæ, dum reliquorum Ordinum præcipuè Benedictinorum, Monasteria, bonaque Ecclesiastica in Germania in suos usus, Scholas atque Collegia, transferre moliebantur. Certè *Laymannus*, Jesuita in *Justa defens.* p. 23. prolixè ostendit, posse circa ultimas voluntates ac pias fundationes ob supervenientem aliquem casum aut circumstantiarum mutationem secundum *Inmixta* interpretationem fieri, & idcirco materialem aliquam mutationem institui, apud *Hoornbeck*. l. c. p. 120. Accedit, distinguì cum *Hoornbeckio* p. 119. posse inter finem in donatorum intentione primarium & secundarium. Primarius fuit in cultum Dei, ecclesiæ ministerium, animarum conversionem sua dicare, quò sine fundatores non excidunt, quantumvis legata in scholas & stipendia transferantur, cum ejusemodi usus si non proprius, analogus tamen veniat existimandus. Quà de re opereose agit *Hoornbeck*. l. c. Deniq; si ipsi Papistæ suppressionem Ordinum quorundam religiosorum in votis habuerunt, reque ipsa nonnullos suppresserunt Pontifices, e. g. Urbanus IX. congregationem Jesuitarum ap. *Alphons. de Vargas* in *Strategemat. Jesuit.* p. 179. Clemens IX. congregationes Cano-

ni.

nīcorum S. Georgii in Alga Venetiarum ac Fratrum Jesuatorum & S. Hiero-
nymi de Fasulis, cujus Bullam eā de causā emissam castigavit Dn. Pufendorf.
in Dissert. Select. p. 504. non est, cur tantoperè debacchentur in Protestantes,
per quos luxurians Franciscanorum aliorumquē Clerus ad paulo minorem
numerum fuit redactus. Hodieque esse inter Catholicos, Franciscanorum,
qui in tres sectas, multis sibi modis contrarias, *Conventualium, Discalcea-
torum & Capucinarum* divisi, in immensum excrescunt, aut concordiam ex-
optantes, aut quorundam extinctionem, è *Discreto Catholico*, quem biennio
ab hinc D. Kühn. *Autocatacriteum* exhibuit, p. 171. non obscurè colligitur. Nos
gratias persolvimus Deo devotas, quod extinctis apud nos sectis Monasticis,
illustrius oriri sidus jusserit, Nostrumquē Gymnasium non faustis tantum au-
spiciis excitârit; sed & à primo foundationis ad hunc usque diem adversus va-
rias machinationes factum testumquē præstiterit, effeceritquē, ut virtutis
atque doctrinæ suæ radios disseminare longè latequē potuerit. Faveat præ-
porro Deus ac propitius sit suis muneribus, faciatquē, ut florente Rep. atque
incolumi, idem Gymnasium nova indes incrementa capiat, suoquē pristino
vigori atque decori restituatur. Atque de hoc argumento aliquantum pro-
lixius dicere jussus est juvenis nobilioris spei ac indolis, **JOHANN-FRIDE-
RICUS** Walther/ Excell. mi Inspectoris Nostri ut unicus, ita charissimus Filius,
qui Feria secunda Pentecostali, *σὺν Θεῷ*, in æde D. Michaelis in *Natalens*
Gymnasii Nostri Orationem habebit sic satis luculentam. Agite igitur, *Illu-
strissime Comes ac Domine, Gratosissime Dn. Capitaneæ, ut et Præillustri ac Generosis-
sime Dn. Baro, Ceterique Patriæ Proceres, & quicumq; Gymnasio benè cupitis, Vestræ-
quē Gratiōsa atque Honorifica Præsentia Gymnasio, ejusquē Natali, inque ea
Processioni Solemni novum splendorem perendiè conciliate, neque ea duntaxat
& dicite & facite, quæ boni faustiquē ominis esse videbuntur; sed etiam pro
salute atque incolumitate Gymnasii ac universæ Patriæ cum Oratore
nostro vota publica concipite, id quod humillima animi submissione at-
que humanitate obsecramus, nostraque vicissim servitia atque officia, nun-
quam cunctabundi, offerimus. P. P. Ipsis Vigiliis Pentecost. Anno*

M. DC. LXXIX.

P I N I S.

QX Yb 4549

WMA

m. c.



h. 109, 16. X 201

Mo

In Na



Proces



Senioris Lin
Dominus in
Burck, & c.
Confilia

DN.

Liber Baro à

M. GEC

uriani.

Curiani,

dam,

corandam,

US,

Dominus in Plavia,
iza, Lobenstein &
nis Brandenburg,
is Capitaneus

RICUS,

ix, Dynasta in Glitz-

itantar

y/h.t. Con-R,



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black